INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER AESTATEM

A DIE VIII. APRILIS ANNI MDCCCLXXII.

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT **WILHELMI WEISSBRODT** QUAESTIONUM GRAMMATICARUM PARTICULA II.

BRUNSBERGAE,

TYPIS HEYNEANIS.

1872

LYCEI REGII HOSIANI H. T. PRORECTOR

Dr. LAUR. FELDT,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

Cum ea, quae nuper in Specimine grammatico disserui, probaverim viris doctis, alteram de simplicibus et geminatis consonantibus latinis commentationem publici iuris faciam.

Nam ut de geminatarum consonantium latinarum progressione certi aliquid statuerem, e liberae rei publicae inscriptionibus duo elegi genera, quae cum diligentia in iis et concipiendis et exarandis posita, tum vero quadam copia verborum, non propriorum nominum arbitrio et licentia insignium, geminandi vel non geminandi consuetudinem urbanam nobis repraesentarent integram probabiliusque, quam minores inscriptiones, varias per regiones dispersae, discernere nos docerent dissimilia, similia communi rationis grammaticae norma complecti. Certissima igitur coniectura, quo modo iam saeculo sexto u. c. extremo et ineunte septimo geminatio serpsisset, e duabus legibus repetundarum et agraria atque ex Scipionum elogiis fieri videbatur ita, si in singulis verbis formisque verborum simplicium dupliciumque litterarum et varietatem et constantiam spectaremus accuratissime.

Et primum quidem, quoniam Scipionum elogia inaequabilibus atque adeo incertis temporis intervallis inter se distant et multo minus verborum habent, quam leges repetundarum et agraria, ut quasi unius templi cuiusdam amplissimi commodis in circumspiciendo sive augurando uterer, in duabus istis legibus consistendum esse arbitratus sum eandemque utrique vindicavi consonantium et simplicium (I.) et duplicium stabilitatem (II.) et inconstantiam (III.).

Huic autem consensui etiam plus ponderis demonstravi succrescere ex aliarum scripturarum triplici discrimine, quod cernitur usu litterarum *cu* et *qu*, vocalium *u* et *o* in mediis verbis, atque in pronominis *is* casibus tribus.

Cum igitur a lege repetundarum agraria ita discrepet, ut huius scribendi ratio ex illa, quae est undecim annis antiquior, pendere non possit, tantus geminatarum et non geminatarum consonantium consensus ex generaliori aliqua consuetudine, quae tota fere aetate Gracchorum apud Romanos obtinuisse videtur, tamquam e communi fonte manaverit necesse est.

Iam vero, si ad antiquiora tempora animum advertimus, consentanea sunt et consequentia haec:

I. Ennium Enniique aetatem nullius verbi, quod in legibus repetundarum et agraria aliquam simplicis litterae stabilitatem prae se fert, duplicem consonantem novisse;

II. quae Gracchana aetate variantur partemque eorum verborum, in quibus geminatur, Ennii temporibus aut simplici consonante scripta esse, aut ambigua fuisse;

III. partim denique inde a prima geminatione binas consonantes habuisse.

Sed ut hanc necessitudinem, quae inter saeculi sexti extremi et saeculi septimi ineuntis constantisque usum intercessit, non solum ratiocinatione assequamur, verum etiam oculis subiiciamus, nunc Scipionum titulos nobis perlegendos esse duco, e quibus ad duas illas leges respiciamus, ad reliquas inscriptiones devertamus.

§. 5.
Quibus in verbis tituli Scipionum consonantes geminent. Scriptura verborum, quae in illis eademque in legibus repetundarum et agraria leguntur, e reliquis inscriptionibus liberae rei publicae exhibetur.

In antiquissimis Scipionum titulis non esse geminatum, pag. 16 Speciminis grammatici[1]) monui. Inspiciendi[2]) nobis restant sex:

I. Publii, flaminis dialis, Ritschl. tab. XXXIX. F., Mommsen n. 33. Num hic Publius Africani filius fuerit idemque, quem anno 574 augures cooptaverunt, quae est I. B. Viscontii et Ritschelii sententia, iam ea dubitatio, quam de auguratu et flaminio uni homini mandatis Ambroschius (Ind. schol. Vratislav. aest. 1856. Quaestionum pontificalium cap. III.), nec minus ea, quam Mommsenus excitavit (C. I. L. I. pag. 19) incertissimum reddere mihi videtur.

Accedit, quod de brevitate vitae, quae in hoc elogio quam maxime deploratur unumque dicitur sempiternae gloriae impedimentum:

Mors perfecit tua, ut essent omnia brevia ...,
Quibus sei in longa licuiset tibe utier vita,
Facile facteis superases gloriam maiorum,

cetera testimonia prorsus tacent, quamvis in valetudine infirma verbosa sint: Cic. Cato mai. XI. 35, de off. I. 33, 121., Brut. XIX. 77. Quae me eo potius perducunt, ut Africani filio annos fere communes hominum credam contigisse, valetudine tantum a re publica bellorumque gerendorum laboribus prohibito. Quod nostri (I.) epitaphii laudes *honos*, *fama virtusque*, *gloria atque ingenium* cum Ciceronis testimonio fere consentiunt, id in sepulcro nihil ad rem facit. Nam Lucii quoque, qui *annos gnatus XX* obiit, *magna* praedicatur *sapientia multaeque virtutes; nunquam victus est virtutei* (Ritschl. tab. XLI. K. Momms. n. 34): nimirum merae laudationes sunt. — Praeterea in Africani filii epitaphio pro infinita nudaque *gloria maiorum*, quae nimis summatim ad totam stirpem pertinet, aliquam tam praeclari patris mentionem expectarem, cum praesertim inscriptio, quae est in Lucii L. f. P. n. sepulcro (Ritschelii tab.

---

[1]) Nova antiquissimae scripturae exempla Ephemeris epigraphica, iussu instituti archaeologici Romani edita a. 1872, suppeditat haec, Praenestina omnia:
Polouces, e speculo, n. 18; cf. *Poloces* Ritschl. tab. I. E., Momms. n. 55, item in Praenestino aliquo speculo scriptum; *Apolo*, in cista aerea, n. 21; *Pilipus*, in speculo, n. 24; e titulis sepulcralibus novem: n. 59 *Epoleius;* n. 60 *Epoleio*; n. 61 *Epuleius;* n. 73 *Gesia;* n. 85 et 86 *Opio;* n. 87 *Opia;* n. 97 *Puli;* n. 98 *Pulius*. Quamquam haec non omnia ante saeculum sextum u. c. medium videntur incisa esse.

[2]) Cf. ultimam paginam huius scriptionis.

XL. G. Momms. n. 35), tribus ea verbis pedestri oratione facta, nihilominus patris laudem, quae fuit tenuissima, non praetermittat: *pater regem Antioco subegit.*

Sermonis indoles litterarumque, quam Mommsenus censet recte tribui saeculo sexto extremo, nihil habent, quod septimo ineunti assignari non possit. Litterarum enim extremitates partim artificiose dilatatae ac cuspidatae sunt: M, A, V cet., neque multum differunt a Gnei titulo praetoris anni 615 (Ritschl. tab. XLII. L. Momms. n. 38).

Quapropter equidem Lucii Cn. f. Cn. n. elogium (Ritschl. tab. XLI. K. Momms. n. 34), ad quod iam transeo, antiquius esse puto.

II. Lucius, *annos gnatus XX*, optimo iure Viscontio est filius Hispalli anno 578 in consulatu mortui fraterque minor Hispani, qui brevi post annum 615 obiit: ipse igitur non post annum 598 decessit. Non persuasit mihi Mommsenus, etiam de Hispani aliquo filio cogitari posse. Nam Hispanus paullo post annum 615, praetura vix gesta, defunctus videtur: aetatis igitur ratio postularet, ut Lucium, qui propter praenomen maximus Gnei filius vix potest fuisse[3]) aliquot annis post 615, certe non ante hoc tempus, defunctum esse crederes. At hoc, quod iam esset filii elogium, antiquius est quam Hispani (Ritschl. tab. XLII. L., Momms. n. 38). Illud enim e saturniis versibus constat, qui non admodum politi sunt, hoc iam distichos, et latinorum quidem, quos equidem noverim, praeter Ennianos praebet antiquissimos. Talis autem novandi audacia in sancta rerum sepulcralium ac paene immobili stabilitate tanquam flexum quendam ut ita dicam aetatis certissime indicat. Illud formam *honos* retinuit, etsi canina littera artificiose ludendi cuidam, quod in eo obtinuit, studio magis conveniret: *Quoiei vita defecit non honos honore,* scilicet *honore (m)*, *(defecit* est verbum transitivum) — hoc in ultimo pentametro, quem sibilans elegantius clauderet, iam *R* litteram ascivit: *stirpem nobilitavit honor.* Illud M finalem quater omisit: *magna*, *sapientia*, *honore* bis (accusativi sunt quattuor), semel expressit: *saxsum;* hoc quinque locis expressit eam litteram: *maiorum*, *creatum*, *laudem*, *stirpem*, *progeniem*, nam Mommseni lectionem: *progenie mi genui* metricis rationibus refellit Ritschelius in Priscae latinit. epigraph. supplem. III. pag. XXI. Litterae denique in hoc recentiores apparent, in illo simpliciores et antiquiores.

III. Lucii, qui quaestor fuit anno 587 et *annos gnatus XXXIII*, ergo anno circiter 593 (vide Mommsenum pag. 20) mortuus est. (Ritschelii tab. XL. G. Mommsen n. 35.)

IV. Asiageni c. a. 600? (cf. Momms. ad n. 36 Ritschl. tab. XL. H.)

V. Gnei, qui praetor fuit anno 615. Qui cum ad summum honorem non pervenerit, paullo post 615 mortuus videtur. (Ritschl. tab. XLII. L., Mommsen n. 38.)

VI. Paullae (Ritschl. XXXVII. C., Momms. n. 39). Hispallum, cuius uxor fuit, consulem esse anni 578 Mommsenus cum propter lapidis naturam negat, qui in hoc solo titulo Tiburtinus est, tum propter consonantium geminationem constanter servatam. Sed ex hac, i. e. e duobus, quae geminant, verbis nihil potest effici. Saeculo septimo medio aliquanto antiquiorem esse inscriptionem mihi elementum P apertum et prope rectangulum persuadet. Non me fugit lubrica talium definitionum condicio, at eiusmodi ductus in titulis diligenter exaratis, qualem Paullae esse apparet, infra Gracchanam aetatem inveniri nego.

Iam e primo elogio notabimus:

Terra, *essent* duplicis,
gesistei, *licuiset*, *superases* simplicis consonantis.

---

[3]) Dio frgm. 44 Bekker: *ἐπὶ Μάρκου Κλαυδίου καὶ Σεμπρωνίου ὑπάτων μόνῳ τῆς τοῦ πατρὸς ἐπωνυμίας τῷ πρεσβυτέρῳ τῶν παίδων μετέχειν Ρωμαῖοι παρεκελεύσαντο.* Cf. Momms. Mus. Rhen. XV. pag. 178. Consules sunt anni 514.

Verbi *licuiset* alteram I Ritschelius in enarratione tabularum Mommsenusque pag. 19 supplent, ut quae hodie iam non extet. Quod ut per se leve, ita in duplicis simplicisque S quaestione est gravissimum. Fortasse enim quispiam etiam alteram quandam S inferri posse credat. Ipsa autem lithographa tabula, ad archetypi fidem expressa, si acriter eam intueris, non obscuriora illius I vestigia ostendit, quam S litterae in v. 6 verbi quod est *facteis*, quod ab omnibus integrum habetur. Ne vero longius eam I in LICV ISET ab V vocali distare putes, intuearis velim versum 4, in quo eadem lapidis rima vocalem E in ATQV E. INGENIUM a superioribus elementis divellit, item v. v. 3. 2. 1. HON OS cet.

Alterius inscriptionis sunt:
Annos duplicis, *posidet* simplicis consonantis,
tertiae idem *annos*,
quartae *annoru*,
quintae *esse*, *accum(ul)avi*,
sextae (P)*aulla Hispalli*. Nam Paullam, non Aullam fuisse demonstrat Mommsenus ad n. 39.

Primum ea horum titulorum et legum repetundarum atque agrariae verba, quae possunt inter se comparari, per reliquas inscriptiones persequemur (hac §. 5 et §. 6).

Deinde quae utriusque generis propria sunt, (inde a §. 7) tractabimus.

Denique de iis agemus, quae in neutro inveniuntur.

Esse, *essent*, *terra*, *accumulavi* triaque *annos*, *annoru*, item *licuiset*, *superases* legibus repetundarum et agrariae respondent. *Posidet* autem, modo iustam habeas temporum rationem, neque te offendet, et primam geminatarum consonantium progressionem in ipso animi tui conspectu ponet. Sed singillatim de eis exponemus.

1. Accumulavi.

Duplici *C* assimilationis litterarum D C, quae hic apparet, sociabis:

Accipito legis Bantinae, quae est inter annos 621 et 636 rogata (Ritschl. tab. XIX. v. 20 Momms. n. 197 v. 21).

Ergo sententia fratrum Minuciorum anni 637 (Ritschl. tab. XX. Momms. n. 199), quae
acipiant v. 26 praebet, non impedit quin
accipito legis agrariae scriptura superstes fragm. D. 23 etiam lectioni
accipito legis repet. E. 14 apud Ursinum et Brissonium patrocinetur, quoniam epitaphium illud (V.) iam ante annum 620 scriptum esse vidimus.

2. Annos.

Quid quod eadem illa Minuciorum sententia etiam
anos habet v. 25, recte quidem bis *NN*:
annos, *anni* v. v. 28, 35,
quamquam non solum lex repetundarum quinquennio antiquior duodecies constanter geminat, sed etiam Scipionum tituli II., III., IV., quorum duo sine ulla dubitatione iam ante annum 600 facti sunt, simplicem N ignorant.

Neque tamen cum Ritschelio (de titulo Aletrinatium pag. V.—VI., ind. schol. Bonnens. 1852/53) ad miram consuetudinis fluctuationem rettulerim, quod in Minuciorum sententia geminatum est circiter deciens, non geminatum plus viciens. — Mihi, ut ingenue fatear, archetypum et ab imperito

homine neglegenter conceptum videtur, et ab imperito homine neglegenter incisum, ut cum legibus eius aetatis componi vix possit.

Ne vero leviter istam sententiam ferre tibi videar: pingues sunt litterarum ductus, omnino nulla cum aequabilitate facti. Non modo a legis Bantinae et legis repetundarum elegantia, adeo a lege agraria longe recedunt: tres velim versus 13—15 oculis perstringas.

Idem quod in litteras, cadit in verborum formas; v. 30—32 bis habes structuram: *de maiore parte Langensium Veituriorum sententia* pro genitivis: *maioris partis*, quia rudis scriba praepositionem *de* suo casui *sententia* reservare non potuit. cf. legis repetundarum v. 57 apud Mommsenum, fragm. E. 13: *de consili maioris partis sententia*, i. e. de sententia consilii, maioris partis. *(Consili* genetivum non a *partis* pendere, sed hoc *partis* illi *consili* appositionis modo esse additum, apparet e v. 60: *queive eiei iudicei consilioque eius maiori p(arti) satisfecerit.)*

Praeterea in Sententia Minuciorum quattuor insunt accusativi plebei, terminati O vocali, quam politior latinitas iampridem ad V vocalem deduxerat:

montem Lemurino infumo v. 14,
montem Berigiemam infumo v. 19,
floviom v. 23.

Deinde vix poteris quin v. 46:

Mogo. Meticanio. Meticoni. f. Plaucus. Peliani. Pelioni. f. de nominibus Mogus Meticanius plebeio more pronuntiatis scriptisque cogites. Non minus vitiose v. 18 *um* pro *o* scriptum, nempe utrumque rudi homini paene idem sonabat. Fines enim diriguntur:

In. montem. Apeninum. inde. Apeninum. iugo. recto. in. montem. Tuledonem,

ubi ex tabulae consuetudine ablativus desideratur. Est enim: dem Apenninus nach, cf. v. 15: *inde. sursumvorsum. iugo. recto. monte. Lemurino, v. 10: usque. ad. rivom. Vinelascam. infumum. inde. sursum. rivo. recto. Vinelesca;* v. 14: *inde. Ede. flovio* cet.[4]).

Denique eidem neglegentiae alia sunt imputanda nonnulla, quae in cap. II. (de I pingui et I tenui) enumerabo[5]).

Ceterum geminatam *n* in *annus* recentiores tituli liberae reipublicae temporibus facti omnes servaverunt (cf. Huebneri indicem verborum C. I. L. I. pag. 572); sed imperatorum aetas in vulgaribus et christianis inscriptionibus tam saepe neglexit, ut suspicari liceat, neglegentiam non solam in causa fuisse, sed pronuntiationem incertiorem. Velut ex Mommseni Inscriptionibus regni Neapolitani hosce collegi numeros: 518, 574, 684, 1745, 2037, 2143, 2687, 2699, 2877, 2967, 3529, 3531, 4909, 5269, 5530, 6716, 6733, 6739, 6743, 6940 bis, 6948, 7179. *Bienio* legitur N. 1601. Dies me deficeret, si e Leonis Rénier „Inscriptions romaines de l'Algérie", Rossii „Inscriptionibus christianis urbis Romae" ceterisque libris fide dignis singulos locos exhiberem. Quattuordecim ex „Inscriptionibus Hispaniae latinis" memorat Huebnerus C. I. L. II. pag. 778.

3. Posidet.

In hoc quoque verbo sententia Minuciorum relegenda est. Nam imperitum scribam consentaneum est tum temporis (anno 637) in geminatione ita versatum fuisse, ut quae olim acerrime pronuntiata ideoque inde ab Ennio geminatis litteris scripta erant, ea sua sponte aut constanter aut saepe ad duplicem consonantem perduceret, eis autem unam daret, quorum non semper eadem durities audita

---

4) Hac collocatione verborum Rudorffii emendatio versus 7 a Mommseni dubitatione (pag. 74) defenditur.

5) Minus premendum est, quod *m* littera finalis bis omissa videtur in v. 9: *in rivo(m) Vendupale(m)*, vitiose adiecta in v. 10: *inde flovio Procobera[m] deorsum.*

erat. Quamquam igitur *possidere, possesio, possesor* non solum in lege agraria anni 643 plus vicies quinquies vidisti (Specim. grammat. pag. 25 et 26), sed etiam uno illo, qui hoc vocabulum admisit, legis repetundarum loco (fragm. D. v. 5, Ritschl. tab. XXIV. Momms. pag. 61 LVII., *possideantur)*, itemque geminatum esse vides annis 621—36 in lege Bantina (Ritschl. tab. XIX. Momms. n. 197), quae *possideantur* praestat v. 11, denique *possidere* unum alteri *posedisent* sociatum in decreto L. Aemilii anni 565 (C. I. L. Vol. II. n. 5041 v. v. 6, 5), tamen difficiles explicatus non habet, quod haec nostra Minuciorum sententia anni 637 *posidere* scribit v. 13, 28 bis, 29 bis, 30 bis, 38 bis, 40; 24, ubi lacuna *po.. dent* tres litteras non capit; sed unum *possidere* v. 3,

esse autem ter: v. 13, 24, 45, *essent* v. 4,

ese eset nullo loco.

Nam in ipsa lege agraria anni 643 unum observavisti simplicis sibilantis exemplum

posidebunt in fragmento C. 13, et

posidet in altero Scipionum elogio,

ese, eset autem neque in triginta legis agrariae legisque repetundarum locis, neque in titulis Scipionum et decreto illo.

Ceterum ne tam singularis quidem alterutrius scripturae exceptio:

Posidebunt l. agrar. C. 13 inter tot duplicis S exempla,

possidere sent. Minuc. v. 3 inter decem simplices litteras suo pondere caret. Namque simile aliquid in formis *causa*, *caussa* observabis, quarum illa in legibus repetundarum et agraria tredecim, haec duobus tribusve locis, eadem vero *caussa* in lege Iulia municipali septuaginta annis post rogata quindecim locis invenitur, haec *causa* duobus. Si quis quam maxime operam dedisset, ut modo prima recentiorum scripturarum initia ex antiquiorum integerrimo usu quasi nascentia, modo tenuissimas antiquitatis reliquias prae exculta recentioris usus frequentia prope evanescentes cogitationi nostrae subiceret, is mehercule melius rem instituere non poterat.

Stetit postea duplex S verbi *possidere* in legibus Antonia de Thermensibus anni 683 (Ritschl. tab. XXXI. Momms. n. 204, in scriptura integra I. 18, 23, 31, 35, in schedis Ambrosianis I. 19, 26), Rubria anni 705 (Ritschl. tab. XXXII. Momms. n. 205, II. 46, 51) atque Iulia (Ritschl. tab. XXXIII.—XXXIV. Momms. n. 206 v. 71, 117).

Ut vero ad geminationem revertur, quae locum habet in formis:

4. Esse esset,

unanimi eas consensu

legis agrariae anni 643 (duodeviginti locis),

legis repetundarum a. 631 (undecim locis),

legis Bantinae a. 621—36 (v. 23: *esse)*,

sententiae Minuciorum, (quattuor locis),

elogii Gnei praetoris a. 615 *(essent)*,

elogii Publii flaminis ineuntis fere septimi saeculi vel sexti extremi *(esse)* atque adeo decreti L. Aemilii imperatoris (C. I. L. II. n. 5041: *essent)* a. 565 firmatas videmus. Propterea in istis formis latinitatem inde ab Ennio constanter geminavisse fatearis necesse est.

Atqui extat quidam Aletrinatium titulus (Ritschl. tab. LII. B., Momms. n. 1166), qui

ese v. 15 servaverit: *senatus. filio. stipendia. mereta. ese. iousit.* — Propter vocales in *Vaarus* et *seedes* iteratas Ritschelius et cum eo Mommsenus Attii grammatici temporibus titulum tribuunt censentque scriptum esse post annum 620 u. c. Probabilius mihi videtur disputare Buechelerus (Grundriss der latein. Declination pag. 25), in geminatione vocalium propter disertum Quintiliani testimonium licere ad

paullo antiquiorem aetatem ascendere. Sed utcunque res se habet: Aletrinatium placita iamdudum obsoleti moris tenacia eam scripturam, quae saeculo septimo ineunte Romanis probata fuerit, non magis nobis praestabunt, quam eiusdem lapidis postumum illud *sont* in v. 3: *quae infera scripta sont.* Quae enim huius generis praeter ipsum hunc lapidem inveniuntur, casca sunt omnia medioque saeculo sexto antiquiora:

Dedro / *dedrot* } in Pisaurensibus titulis Ritschl. tab. XLIII. A. C. Momms. n. 173, 177, saeculi quinti extremi,

cosentiont in sepulcro L. Scipionis cos. anni 495 Ritschl. XXXVIII. E. Momms. n. 32,

dederont Momms. n. 181 (*aire. moltaticod*, nominativi secundae declinationis in *io* quattuor, in *us* nullus),

coravero(nt) Momms. n. 73 (nominativi in *io* duo, nullus in *us*);

nequinont in Livii Andronici Odissia Fest. p. 162;

tremonti in carm. Saliar. Fest. p. 205.

Sed Senatus consultum de Bacchanalibus quod vocatur, anni 568, iam scribit

sunt v. 28, *erunt* v. 29,

consoluerunt v. 1, nullum *ont.*

Quae vero habet Minuciorum sententia:

Sunt v. 36, 42, 43, *erunt* v. 36, item undecim locis *dabunt*, *posidebunt* (bis), *iuserunt*, *iouserunt*, *cognoverunt*, *composeiverunt*, *dixerunt*, *dixserunt*, *fuerunt*, *habuerunt*, ea iam non afferrem omnia, nisi in hac potissimum quaestione utiliter perspici putarem, quid inter surdam *um* syllabam ultimam et acriorem *unt* eiusdem sedis septimo octavoque saeculis ori Latino interfuisset. Nam eundem plebei sermonis colorem, quo sententiam Minuciorum infectam esse supra exposui, *um om o* permutata dico, etiam in lege agraria est ubi offendas, rarissime tamen pro ingenti vocabulorum copia:

Adsignato E. 12 Ursin. Briss. *(id ei heredeive eius adsignato esse iudicato)* pro *adsignatum*,

in. publico. obligatum. erit D. 13 (de dictione *in publicum obligatum esse* cf. Momms. ad hanc legem LXXIV.),

pro. eo. agro. locum. ve B. 22, fortasse etiam *secundo* (praepos.) pro *secundum* B. 16,

in lege Iulia bis:

Inmolitom Ritschl. tab. XXXIII. 70 Momms. 206, 70;

neve. in. senatum. neve. in. decurionum. numero. legito. Momms. 206, 106. Ritschl. tab. XXXIV. 32; in neutra autem lege neque in ceteris septimi octavique saeculi monumentis ullum *ont* pro *unt* editum investigabis.

Ergo non modo de rudissimo *sont* lapidis Aletrinatis, sed etiam de infinitivi *ese* robigine poteris existimare. In titulis inferioris aetatis nusquam simplicem S animadvertes, neque in ullo libro.

5. Fuise, legise, amase*[6]), fuisem*[6]), habuisent cet.

Aliter comparati fuerunt infinitivus perfecti et subiunctivus plusquamperfecti temporis; nam a prima inde geminatione, i. e. a L. Aemilii imperatoris decreto a. u. 565 (C. I. L. vol. II. n. 5041), in quo extat *posedisent* v. 5, et P. Cornelii P. f. Scipionis flaminis dialis elogio eiusque scripturis *licuiset*, *superases* usque ad leges repetundarum et agrariam tenuerunt: *legise* rep. B. 18, *fuise* agrar. B. 44, 60, 61, *habuisent* agrar. D. 30 (cf. Spec. gramm. pag. 24—26).

---

[6]) Asteriscis hic et infra indicavi ea, quae aut analogia testatur aut coniectura assequitur, etsi non ipsa verba vel exempla in monumentis linguae latinae extant.

Incertae autem est aetatis praetoris epistula ad Tiburtes (Momms. n. 201) et in ea *potuisse* infinitivus v. 7.

Viri docti de tituli aetate alii aliter statuerunt. Viscontius (v. Momms. pag. 108) per bellum sociale anno 664 vel 665 eum factum esse iudicavit; Ritschelius autem (de tit. Aletrinat. pag. V. ind. schol. Bonnens. 1852—53, Monum. epigraph. tria): „Senatus consultum de Tiburtibus", inquit, „exeunti ferme saeculo sexto tribuendum conieci, siquidem hoc litteris consignari potuit ab aliquo, qui Ennianae doctrinae sese addixisset" (cf. Mus. Rhen. IX. p. 160), „nisi forte non ipsa vetus tabula fuit, quam nunc deperditam Fulvius Ursinus et Quirinus Viscontius viderunt ediderutque, sed postmodum instaurata";

Mommseno „consonantes perpetuo geminatae" epistulam legibus repetundarum et agraria recentiorem faciunt, idemque eam „fortasse etiam ad annum 676 et ad suspicionem Sertorianae coniurationis referri posse" arbitratur.

Mihi ita fere de difficillima quaestione statuendum videtur. Geminatae consonantes praeter *potuisse* insunt hae:

Esse v. 5, 6, 7, 9, 11,

peccatum v. 11.

Peccatum quamquam in legibus repetundarum et agraria locum non habet, tamen non vides, cur tum temporis duplici C scribi potuisse negemus, *esse* autem leges illae perpetuo geminant geminantque duo Scipionum elogia, lex Bantina, sententia Minuciorum.

Ergo antiquiori origini unus repugnat infinitivus *potuisse*, quem in auctorum consensu, qui esse videtur (v. Momms. variam lectionem pag. 108 et pag. 556), quodammodo vereor addubitare.

Quamvis vero grammaticorum vel scribarum aliquis Ennianae doctrinae addictus fuerit, ad eum eam ob causam talem scripturam revocare vix ausim. Ennianam enim geminationem non eam animo meo potui informare, quae Ciceronis aetate latissime patuit. Unde enim repeteremus, quod sexaginta post Ennium mortuum annos certa quaedam verba tam pertinaciter simplicem suam litteram retinuerunt? Qui statim *esse esset* Enniana inventa probavere Romani, cur *fuisse fuissem* respuissent, si proposuerat ea Ennius? Adeo saeculi septimi fere medii consuetudinem ei adscribere dubito. Ex omnibus enim inscriptionum testimoniis — neque sunt alia, quibus innitamur — hoc unum effici cogique posse mihi videtur: in multo paucioribus verbis, quam septimum saeculum geminavit, ipsum geminavisse Ennium.

Neque magis, quam *potuisse*, sexto saeculo exeunte scribi poterant:

Purgati nominat. plur. v. 12,

ut particula v. 5,

de quibus item conspirare videntur auctores.

Ille enim debuit esse *purgatei*, haec *utei*. Et de illo quidem infra dicam in I pinguis enarratione (cap. II.); *ut* a sermone iam non alienum fuit in Scipionum elogiis, quae supra I. et V. signavi:

Mors perfecit tua, ut essent omnia brevia (versus saturnius);

Maiorum optenui laudem, ut sibei me esse creatum Laetentur (versus distichi);

sed in omnibus legibus[7]) scribarumque consuetudine haec forma inaudita fuit ante octavum saeculum. Nam *ut. eius. ad. sese. veniat*, quod in aere legitur in legis repetundarum fragmento B. 40, absurdum est recteque a Mommseno emendatum: *utei. is*, pleniorque haec forma in liberae rei publicae

---

[7]) Similiter, atque in *utei*, *ut* leges a ceteris inscriptionibus in iis pronominis *hice*, *hic* casibus differunt, qui non in *s* exeunt. Cf. Spec. gramm. pag. 17. Locos collegit Huebnerus in indice verborum pag. 581. Addere oportet ex lege repetundarum *hace* v. 41, et in eodem casu pro *v. 83 ter* scribere *83 bis*, pro *69* item *69 bis;* v. v. 16, 39, 88 non sunt integri et in neutram partem valent.

monumentis plus octagies extat. Lex Iulia demum anni 709 breviorem semel ascivit v. 74, ne cum infinitivo male consonaret particula:

Ut utei fruei liceat... quominus utantur fruantur.. (Ritschl. tab. XXXIII. Momms. n. 206).

Cum Viscontii autem iudicio Mommsenique coniectura pingues *ou* litteras:

In doucere v. 13, *in. doucebamus* v. 6, *in. doucimus* v. 10, de quibus consentiunt Antonius Augustinus, Fulvii Ursini editio, eiusdem schedae apud Gruterum, Zappius, Viscontius (variam omnium auctorum lectionem exhibet Mommsenus pag. 108 et pag. 556; Nicodemi dissensum et neglegentiam non curo), nullo pacto possum conciliare. Namque antiquissimum illud *abdovcit* sive mavis *abdoucit*, quod in sepulcro Scipionis Barbati (Ritschl. tab. XXXVII. B. Momms. n. 30) scripserunt, per saeculum septimum u. c. non habet quocum compararetur; immo leges repetundarum et agraria, quarum scripturam OV verborum quae sunt *iovs, iovdicare, iovdex, iovdicium, iovsit, iovrare*[8]) in Specim. grammat. pag. 4 persecutus sum, pura V vocali in verbo ducendi duodecies utuntur et pleniorem scripturam OV, quam ne semel quidem servarunt, testantur abolitam atque abrogatam in eo verbo fuisse. Legitur enim in lege repetundarum: *duxerit* A. 30, *educito* B. 19, *(ab)ducito* E. 27, *abducier* E. 27; in lege agraria: *deducend(ae)* fragm. A. 38, *deduci* E. 11, *deduxit* B. 22, 24, *deduxsit* A. 18, *indu(xerit)* B. 26, *comductum* A. 20, *(con)ductum* B. 32.

Num vero tenuis et O in *poplicae* (epist. ad Tiburtes v. 8) in publico ullo instrumento per annos 664—676 u. c. scribi potuerit, valde dubito[9]).

Quae cum ita sint, alteri equidem Ritschelii coniecturae ita adstipulor, ut antiquam tabulam, quod ad geminationem attinet, infinitivum *esse* quinque locis omnibus, in v. 7 autem simplicem S in *potuisse* credam habuisse. Duplicem C verbi *peccatum* in medio relinquo.

Multas eiusmodi inscriptiones restitutas esse compertum est; quid ii, qui instaurabant, suae aetatis consuetudini imprudentes concesserint, manifesto declarat lex Puteolana (Momms. n. 577, Ritschl. tab. LXVI.) quae primum litteris consignata anno 649, postea noviciam coniunctionem *cum* (col. III. v. 10) et *uu* in *duum* (col. I. v. 8, col. III. v. 6) in locum genuinae scripturae *quom* et *duom* recepit[10]).

Antiquissimum autem, quod sciam, duplicis in plusquamperfecto sibilantis exemplum C. Coelio C. f. Caldo L. Domitio Cn. f. Ahenobarbo cos. anno 660 exaratum lex pagi Herculanei praebet:

Fecissent v. 8, in eodem versu *esset* (Ritschl. tab. LXV. Momms. n. 571). Postea istum verbi casum similemque infinitivum perfecti in monumentis epigraphicis non invenio ante annum 705, cuius sunt in lege Rubria:

Fecisse II. 33, repromeississet, dedisset, fuisset, respondisset, defendisset, oportuisset (I. 25, 35, II. 14, 44, 49, 50. Ritschl. tab. XXXII. Momms. n. 205).

Item anno 709 lex Iulia municipalis habet:

Fecisse, accussasse (Ritschl. tab. XXXIV. 46. Momms. n. 206 v. 120).

Incertorum annorum sunt tituli Pompeiani duo, C. I. L. IV. n. 2461: *admiror paries te non cecidise ruina* et 3121: *abuise.* Inferiore aetate simplex S tam raro occurrit, ut in censum non veniat, etiam in formis contractis, velut Plaut. Trinumm. 172: *praesensiset* Decurtatus; Aen. XI. 302: *statuise* (altera s superscripta) Mediceus; Virg. Ecl. IX. 10: *servase* Palatinus, idem Aen. XII. 710 *coise* praebet; incerta videtur Gervasii lectio I. R. N. 2001: *interisent.* Quomodo emendanda sint Velii Longi verba 2237 (P) et Annaei Cornuti in Cassiodori excerptis 2283 (P), et cur de iis dissentiam a Conrado Schneider (Gramm. lat. I. pag. 391—92), alio loco exponam.

---

8) Videsis excursum I. 9) Excurs. II. 10) Excurs. I.

6. Terra.

Epitaphii I. legumque repetundarum et agrariae consensus in hoc verbo fere inde ab Ennio geminatum esse demonstrat. Redit geminata littera in lege operis Puteolan. anni 649:

Terra II. 19, Ritschl. tab. LXVI. Momms. n. 577, ubi lapidis fissura priorem R absumpsit. Duplicem R non eius esse, qui instauravit, sed scribae, qui archetypum concepit, iam persuasum habemus.

Deinde geminationem observas in Ferentinis inscriptionibus apud Ritschelium tab. LXVII. C. et LXVIII. D. (ter), Momms. n. 1161, in epitaphio Romano, quo Eucharis Liciniae liberta celebratur (Ritschl. tab. LXXXI. v. 22, Momms. n. 1009), item in elogio Claudiae (Momms. n. 1007 v. 6), qui tituli omnes ferme exeuntis sunt saeculi septimi.

Apud Oscos verbum, quod tamen neutrius est generis, quinquies unam R habet in cippo Abellano haud ita multo post bellum Hannibalicum conscripto: *terom*, *tereͤi* v. 18, 19, 21, 46, 49 Momms. de dial. Ital. infer. pag. 119—120 tab. VI., Huschke Monum. ling. Osc. et Sabell., pag. 33—34, etsi idem cippus cum alias geminet litteras, tum caninam in *sverruneͤi* v. 2, *erriͤns* v. 54.

Apud Romanos cascam scripturam augurum libri usque ad Varronis tempora retinuerunt. Varro enim de ling. lat. V. cap. IV. §. 21: *Terra*, inquit, *dicta ab eo, ut Aelius scribit, quod teritur: itaque tera in augurum libris scripta, cum R uno.* (Sic scribendum, nam in Odofredi Muelleri Spengeliique lectione: *itaque terra in augurum libris* cet. non assequor, cur nomen, quod modo legisti, iam repetendum fuerit. Immo augurum usum *tera* scribendi repraesentat grammaticus, et verba *cum R uno* aut ipse explicandi causa addidit, aut mala librarii alicuius industria[11]). Ceterum de vocis *terrae* origine infra videbimus.

---

[11]) In verbis, quae item, ac *terra*, a terendo ducenda sint (eiusdem loci §. 21, 22) libri valde corrupti sunt. Ut aliqua ex parte emendare possimus, locum oportet adscribere:

„*ab eo* (i. e. a terendo) *colonis locus communis qui prope oppidum relinquitur*, *territorium*, *quod maxime teritur*, *hinc linteum*, *quod teritur corpore*, *extermentarium*, *hinc in messi tritura*, *quod tum frumentum teritur*, *et trivolum*, *qui teritur* („*qui*“ ablativus saepius apud Varronem est pro „*quo*“)*; hinc fines agrorum termini*, *quod eae partes propter limitare iter maxime teruntur*, *itaque hoc cum his* (sic cod. Florent.) *in Latio aliquot locis dicitur ut apud Accium*, *non terminus*, *sed termen; hoc Graeci quod termona*, *pote vel illinc: Evander enim qui venit in Palatium*, *e Graecia Arcas. via siquidem iter quod ea vehendo teritur*, *iter iterum*“.

In lectionibus „*itaque hoc cum his*“ et „*via siquidem iter*“ nemo non offendit. Pro priore Odofredus Müller: „*hinc quod is in Latio ... hinc Graeci quoque termona.*“ —; Lachmannus autem: „*itaque horum is ... hoc Graeci quod termona*“ (Mus. Rhenan. 1845 pag. 611), assensitque ei Ribbeckius (tragicor. reliquiae pag. 193). — Quis autem est ille „*is*“? Num terminus est, qui singulari infra effertur? An singularis, quem e superiore plurali „*fines agrorum termini*“ cogitatione eliciamus? Quam contorta vel, ut rectius dicam, quam nulla est structura verborum! Mihi libri Florentini vestigia hanc fere antiquam ostendunt scripturam:

„*ita quoque hoc termen*, *ut finis in Latio aliquot locis dicitur; item apud Accium non terminus*, *sed termen*“.

Hoc pertinet ad genus neutrum; nam articulum, graeca voce ἄρθρον versa, primus apud Romanos nominavit Plinius (Probi instituta artium, Grammatici latini ed. Keil, tom. IV. pag. 133), sed iam Varro multis locis et Nigidius Figulus apud Gellium (N. A. XIII. cap. 26 §. 4 Hertz) ad casus, numeros, genera nominum distinguenda pronomine *hic* usi sunt, quem usum iam definivit quodammodo Varro de l. l. IX. pag. 485 Speng.: *ea virilia dicimus*, *quibus praeponimus hic et hi*, *et sic muliebria*, *in quibus dicere possumus haec aut hae.* — Deinde cum Müllero facio: „*hinc Graeci quoque termona*“.

Alteri lectioni „*via siquidem iter*, *quod ea vehendo teritur*, *iter iterum*“ — Müllerus hanc substituit: „*via sicut iter quod ea vehendo teritur*, *iter itu*“; Lachmannus, probans is quidem „*iter itu*“, coniecit: „*via similiter*, *quod ea vehendo teritur*, *iter itu*“.

Equidem utrumque falli existimo. Quid enim nudo verbo *viae* est cum *terendi* notione? Quod Lachmannus l. l.: „*Wenn man erkennt*, *dass Varro bei Gelegenheit von terra*, *nach ihm a terendo*, *Betretenes*, *nicht bloss ebendaher abzuleitende*

§. 6.

Quae geminandi et non geminandi ratio ac causa in legibus repetundarum et agraria eademque in Scipionum titulis obtinuerit.

Verborum, quae in legibus repetundarum et agraria eademque in Scipionum sepulcris leguntur, scripturam ac consuetudinem per prima geminationis tempora in §. 5 prosecuti sumus; iam harum simplicium dupliciumque litterarum causa ac ratio spectanda est.

Omnis enim geminatio bifariam distribuitur. Alterum genus binarum est consonantium, quae aut per se similes, ut *addere*, *commutare*, aut ad similitudinem adductae sunt, ut *adsigno*, *assigno*, *vel-re**, *velle*. Alterum genus singularum est consonantium, quae fortiore vocis intentione pronuntiatae, duplici littera significantur, ut *quotidie*, *cotidie*, *cottidie*. Num igitur antiquissima geminatio utrumque genus noverit, quaeremus.

Et primum quidem dicendum erit de miro illo formarum *esse*, *essem*, *fuise*, *fuisem*, *legise*, *legisem* cet. discrimine (I.), quo controversiam, quae inter Boppium, Pottium, Curtium de origine geminatae S in verbo *sum* et infinitivis perf. coniunctivisque plusquamperfecti extitit, componi posse existimo.

Ei autem disputationi duplicem S verborum *adessint* et *mercassitur* (in legis repetundarum fragmento E v. 19 apud Brissonium de formulis et sol. populi Romani verbis illud, hoc in fragmento E legis agrariae v. 21 apud eundem Brissonium et apud Fulvium Ursinum) [12]) ut subiungamus, res ipsa postulat. (II.)

Deinde reliqua verba, quae Scipionum titulis cum legibus repetundarum et agraria sunt communia, tractabimus. (III.)

Sed huius quaestionis absolvendae vel ad suum quendam finem perducendae opportunitatem praebebit index lectionum, quae mensibus hibernis habebuntur.

Wörter angibt, sondern auch andere Arten des betretenen Bodens ...", non recte dicit. Hoc enim neque verbo, quod coniecit Lachmannus „*similiter*", neque coniunctioni causali „*quod*" ullo modo potest subesse. Saepenumero Varro ineptissimas promit originationes, sed tamen aliquam aut errandi aut hariolandi ansam praesto esse oportet. Velut „*quaerere*, *quae-re-re*, *quae res ut recipiatur datur opera*" (VI. 79) et sexcenta alia. Ita in actu „*quod agendo teritur*" praeter „*ag*", „*ac*" inest prima terendi littera, et *iter* Varroni est *i-ter*.

Propterea etiam viae loco aliquod nomen postulabis, quod litteras *tr* aut solam *t* habeat. Idcirco *tritura* et *trivolo* memoratis equidem „*trivium*" allatum fuisse suspicor, de quo idem notari potuit ac de terminis: „*quod eae partes maxime teruntur*". Potest igitur Varro haec fere scripsisse: „*trivium sicut iter*, *quod ea pars vehendo teritur*, *iter itu teritur*". — Gerundia „*eundo*, *vehendo*" inter se respondere noluit Varro, ne *i* vocalis quam maxime necessaria abesset. — Librarius autem, cui *trivium* non minus quam nobis trium esset viarum, nescio an compendio usus sit: *IIIUIŪ*, quod ipsa corruptionis praebebat initia. De *via* a *vehendo* ducta confer l. VI. 34: „*qua vehebant*, *viae*". *Vieam precaram (viam precariam)* est apud Ritschelium tab. LXXI. B. — Item in tabulis Iguvinis antiquioribus est *vea* et *via*.

[12]) „Antonii Augustini archiepiscopi Tarraconensis de legibus et senatus consultis liber. Adiunctis Legum antiquarum & Senatus consultorum fragmenta" (sic) „cum notis Fulvi Ursini. Romae Φ. Ɖ. XXCIII".

Excursus I.

OV (ov, ou, u), VO (vo, uo), VV (uv, uu, vu).

1) IOVS et quae ab eo ducuntur.

Verba, quae in legibus septimi saeculi per OV scribuntur, primus collegit Ritschelius in Monum. epigr. tribus pag. 4 et pag. 34. Ex legis repetundarum fragmento A (v. 17), quod quomodo cum ceteris coniungendum esset, nesciebam, me monente addidit COVRATO in Musei Rhenani tomo XVI. pag. 611. Mommsenus reposuit IOVRATO (C. I. L. I. pag. 66 et 59, XXI), quod unum loco satisfacit. Ergo ad radicem IOV in legibus septimi saeculi ea scriptura redit, ita quidem, ut in IOVSI, non loco correptae vocalis *u* in *iubere*, illa aetate inveniatur. Nam in lege Bantina novem insunt haec: IOVDICIVM, IOVDICO (bis), IOVDEX, IOVRARE (quinquies); IOVBERE nullum, IVBETO unum, nullum IVDICO, IVDICIVM, IVDEX, IVRARE. In legibus repetundarum OV et V „prorsus promiscue" (Ritschl. l. l.) scriptum videtur, sed quinquies inest IVBETO, nusquam IOVBETO. Proclive igitur est dictu, septimi saeculi scribas et grammaticos credidisse, productas tantum syllabas eam scripturam pati, cum praesertim graecarum litterarum notitia aut imbuti essent aut aspersi et *OY* illis temporibus item, ac latinae diphthongi AE OE, ut vocalis simplex producta efferretur. Nihilominus ea coniectura suas habet cautiones. Nam si circumspexeris, quo modo V et OV per duas nostras leges distributa dispersaque sint, vix ullam grammaticam rationem quinque locis, ubi IVBETO traditur, agnosces. Unum vocabulum IOVS tantum non semper plenius scriptum est; reliqua verba in legis repetundarum superiore parte plerumque OV, sed in inferiore parte eiusdem legis longe plurimis locis simplicem V habent, etiam pluribus tota lege agraria. Ut diligentia neglegentiaque antiquorum hominum in conspectum cadat, locorum indicem infra posui.

IOV et IV in lege repetundarum.

IV.	*Ioudicium, ioudicatio, ioudic(ium)*	B	4	
V.		A	1	*iu(dic)*
VI.	*ioudicium* (bis), *ioudicatio, ious*	B	6	
VII.	*ioudicio*	B	7	
VIII.	*ioudicium*	B	8	
XI.	*ioudicio*	A	7	
XI.	*ioudex*	B	11	
XII.	*ious, iouserit*	B	12	
XIV.	*ioudicet* (pro *indicet*)	A	10	
XV.		A	11	*iurato*
XVII.	*ioudices* (pro *indicet*)	B	17	
XVIII.	*iourato*	B	18	
XIX.		A	15	*iudicibus*
XIX.	*ious*	B	19	*iudicem, deiuraverit*
XXI.	*courato* (pro *iour.*)	A	17	
XXIII.	*iouret*	B	23	
XXIV.		B	24	*iurarit, iudices*
XXV.		A	21	*iudices*
XXVI.	*ioudices*	A	22	
XXVII.	*ioudices*	B	27	*iudices* (bis)
XXIX.		B	29	*NDICATA* (pro *iud.*)
XXX.	*ioudicium*	A	26	
XXXI.	*ioure*	B	31	
XXXII.		B	32	*iubeto*
XXXVI.	*ioudices*	A	32	*
XXXVI.		B	36	*iudices*
XXXVII.	*ioudicet*	B	37	
XXXVIII.	*ioudicis, ioudex*	B	38	
XXXIX.		A	35	*iudicium* *
XLI.		B	41	*iudicium*
XLII.		B	42	*(iudici)bus* (videtur.)
XLIII.		A	39	*iudicium*
XLIV.		A	40	*iurent* *
XLV.		A	41	*iudice(s)* *
XLV.	*ioudex*	B	45	
XLVI.		B	46	*iu(dicabit)*
XLVII.		B	47	*iudicare*

XLVIII. . . . . E 4 *iu(dicio)* *
XLIX. . . . . E 5 *iudicetur, iudicum* *
XLIX. . . . . B 49 *iudicare*
L. *ioudices* . . . B 50
LI. . . . . E 7 *iudicis* *
LII. . . . . B 52 *iu(dices)*
LIV. . . . . E 10 *iud(ici)* *
LX. . . . . E 16 *iudicei* *
LXI. . . . . D 9 *iudex*
LXII. . . . . D 10 *iudex* (bis)
LXIII. . . . . D 11 *iusei, iudex*
LXIV. . . . . E 20 *iubeto* *
LXIX. . . . . E 25 *iuserit* * *
LXX. . . . . C 5 *ndic(i)um* (pro *IVDICIVM)*
LXX. . . . . D 18 *iudicetur, iudicium*

LXXI. . . . . C 6 *iubeto*
LXXI. . . . . E 27 *iubeto, iudicium* [13])
LXXI. . . . . D 19 *iudicare, iudicium*
LXXI. . . . . „ „ *iubeto*
LXXII. *ioudicio, ioudica(ta)*. . D 20
LXXIV. . . . . D 22 *deiuraturum* pro *deferatur*
LXXVI. . . . . D 24 *iudicio*
LXXVII. . . . . E 33 *iustei* *
LXXIX. . . . . E 35 *iudex* *
LXXIX. . . . . D 27 *iudicio*
LXXXII. *ioudicandam* D 30
LXXXIII. *ioudicio* . . . D 31
LXXXIX. *ious* . . . . D 37

IOV et IV in lege agraria.

VII. . . . . B 7 *iusit*
XVII. *ious* . . . . B 17 *ius* (bis)
XXIV. *ious* . . . . B 24
XXX. *ious* . . . . B 30 *iudicium, iudi(cem)*
XXX. . . . . A 25 *iudicium, iudicem*
XXX. . . . . „ „ *iudiciu(m)*
XXXIII. . . . . A 28 *iuris (dictio)* [14])
XXXIV. . . . . B 34 *iudicium*
XXXIV. . . . . A 29 *iudicium, iudex* *
XXXV. . . . . B 35 *iudici, iudicis*
XXXV. *ious* . . . . A 30 *iudicium*
XXXVII. *ious* . . . . B 37
XXXVIII. . . . . B 38 *iudicata*
XXXIX. *ioudicandae* B 39
XXXIX. . . . . A 34 *iudicatus* *

XLII. . . . . A 37 *iurato* *
XLIV. *ioudicaverit* B 44
LVII. . . . . E 7 *iudicato* *
LX. . . . . B 60 *iudicato*
LXI. . . . . B 61 *iudicato*
LXII. *adioudicari* E 12 *iudicato* * *
LXVIII. . . . . E 18 *iudicato* * *
LXIX. . . . . D 8 *adiudicaverit*
LXXIII. *ious* (bis) . E 23 * *
LXXVIII. . . . . C 3 *iuserit*
LXXXI. . . . . D 20 *iusi(t)*
LXXXVII. . . . . D 26 *iudicio*
XC. . . . . E 40 *adiudicato* * *
XCIII. *ious* . . . . E 43 *
CII. *ious* . . . . D 41

Asteriscis signavi ea, quae ex utriusque legis fragmentis hodie deperditis tradunt Fulvius Ursinus, Brissonius, alii viri docti, libri scripti et impressi, quos percenset Mommsenus pag. 50. Ego syllogen tantum illam Ursini (1683) et Brissonium novi; locorum binis asteriscis signatorum variam lectionem ex Mommseni apparatu critico desumpsi hanc:

Ad legem repet. LXIX., E 25: „IVS. ERIT traditur“ (pag. 69). Structura postulat, quod Mommsenus scribit: *iuserit*. Eodem modo dirempta sunt VET. ERE l. agrar. A 12, SODA. LITATE l. rep. B 25, AVOCAR. IER l. rep. C 6.

[13]) Ab initio huius versus Brissonius solus OVCITO legit (cf. Momms. pag. 69 ad LXXI; nullam D praecessisse, ut DOVCITO existeret (cf. huius commentat. pag. 11), ceterorum auctorum consensus persuadet. D et O in legibus saepius simillimae sunt.

[14]) B 35 Mommsenus perditas litteras hunc in modum supplet: *queiquom(que tum erit de ea re iu)ris.dictio.* Vocula *tum*, qua lex A 28 non utitur, spatium tabulae Ritschelianae excedit.

Ad legem agrariam LXII, E 12: „ADIOVDICARI Briss. Boiss., ADIVDICARI Urs.; IVDICATO Urs. Briss.; ADIOVDICATO Briss." (immo *Boiss.* typotheta dare debebat) „ex interpolatione" (pag. 104).

LXVIII., E 18: „IOVDICATO Boiss." (pag. 105).

LXXIII., E 23: „IOVS Urs. Mab., IDVS Boiss., IVS Briss." (pag. 105).

XC., E 40: „ADIOVDICATO Boiss. solus" (pag. 106).

Ergo de locis, ubi V in deperditis fragmentis incisum fuit, satis constat. Noli suspicari, Fulvium Ursinum et Brissonium O litteram saepius praetermisisse. Ut unus vel duo loci de summa nostra detrahendi sint: plures non sunt. Nam viri illi non solum recentiora, sed etiam antiquiora imprudentes passim immiscuerunt, velut IOVS Ursinus l. agrar. B 17, ubi IVS Ritschelii tabula, Mommsenus, Bluhmius testantur. Boissardo autem fidem habendam non esse, evidentissime ex interpolatione infimae partis fragmenti E legis repetundarum demonstravit Mommsenus pag. 52.

Quadraginta annis recentior, quam lex agraria, quinquaginta, quam lex repetundarum, est lex Antonia de Termessibus (Ritschl. tab. XXXI., Momms. n. 204), in qua redeunt haec:

ious II. 3 bis, 18, 20, 29; item *iouris (quodque iouris Termensium fuit)* II. 23, sed *iudicia* II. 4 et *iuris* in *iuris. dictio* II. 2.

Nimirum duo quae scribebantur *iuris* et *dictio* iam in unum verbum concreverant, ut *post. hac* distinctum est, pronuntiatum esse unum adverbium e littera finali *e* abiecta (S. C. de Bacchanalibus v. 13, l. Bantin. v. 16, l. agrar. B 28) inter plus quadraginta simplicis pronominis plenius scripti *hice*, *hoce*, *haece*, *hoice*, *hance*, *haace*, *hace*, *haice* exempla intellegitur.

In lege Cornelia de XX. quaestoribus anni 673 iam nullum superest litterarum OV vestigium, sed e quattuor locis, ubi nominativus ille monosyllabus extat, tres habent *iuus*, I. 39, II. 3, 27; ablativus quater fit *iure*, II. 8, 9, 12, 13. Exilitati verbi cum gravitate pugnanti plenior forma in illis legibus tamdiu retenta, in hac vocalis geminatione compensata deberi videtur.

2) OV (ov ante vocalem), VO (vo, uo), VV (uv, uu, vu).

Consulto praetermisi in lege repetundarum SOVEIS fragm. E v. 6 (cum SVOS nominativo E 16, SVEI, SVAE, SVO, SVA), non quod negaverim, olim in multis verbis litteras OV perinde, atque in illo SOVEIS, infra se habuisse vocalem, id quod in NOVNAS, CLOVLEI cet. fere liquet, sed quia in saeculi septimi latinitate V consonantem inter vocales positam, sive ad stirpem ea pertinebat, sive hiatus tollendi[15]) causa aut antiquo aut rustico more interiecta est, vel ideo ab iis, quae sunt IOVS, IOVS-, IOVR-, IOVD-, segregandam esse existimo, quod haec mox abolita sunt, illa multo diutius servata est. Quid enim aliud sonat *Mantova* Italorum et quae sunt id genus?

Ad hoc autem genus scripturarum universum, a nullo non tractatum, ne cui excurrere videar iusto longius, praemonere licebit, hodie grammaticos, quotquot de concursu duarum V vel dedita opera fusius disserunt, ut Ritschelius de titulo Aletrinatium pag. XV. in Monum. epigr. tr., Fridericus Neue, Formenlehre der lat. Sprache I. 66—70, II. 335, Guilelmus Corssen, Aussprache, Vocalismus cet. ed. II. tom. II. pag. 99—100, Franciscus Buecheler, Grundriss der lat. Declination pag. 10, Hugo Schuchardt, Vocalismus des Vulgärlateins tom. II. pag. 179, Guilelmus Brambach, Neugestaltung der lat. Orthographie pag. 93 sqq., 319 sqq., vel oblata occasione breviter eum memorant, ad unum omnes vocalem V iteratam censere semper aeque difficilem fuisse, ac consonantem (vel semiconsonantem) V, quam vocalis V excipiebat.

---

15) Non recte Hermannus Usener nuper in Iahnii annalibus e nomine *Archelavos* vetus Graecorum digamma radici insidens eruebat, quod apud illos aliquot saeculis ante, quam Romani ea nomina didicerunt, interiisse constat. Latini oris commoditates continent isti tituli, non veriloquio vetustissimorum verborum graecorum inserviunt.

Sed interest aliquid, utrum duae V ad duas syllabas pertineant, an unam. Facillime enim, vel minus difficulter inde a saeculo septimo exeunte pronuntiabatur *uv*, quia haec *v* ab *u* superiore seiungitur et propter insequentis vocalis, quacum unam efficit syllabam, diversitatem propius accedit ad vim et duritiem verae consonantis. Difficiliores latino ori, quod etiam *aa*, *ee*, *oo*, *ii* respuebat, binae *u* vocales visae sunt, eaedem tolerabiliores, quam *vu*, quemadmodum duae *i* minus offendebant, quam *ji*, quibus nunquam assuevit latinitas. Nam consonantes *v* et *j* neque plane congruunt cum vocalibus *u* et *i*, neque tam sunt dissimiles, ut lingua Romanorum litteras ad unam syllabam copulatas discriminare et distincte enuntiare valuerit. Quid multa? Inscriptiones et libros bonae notae perlustrare quam ratiocinari praestat.

I. Ex inscriptionibus primum eas seligemus, quae singulae utrumque genus verborum et syllabarum habent. Quaerendum igitur erit,

1) praebeantne aliquot scripturam *vo (quo)* eaedemque *uu;*
2) num quae *vu (quu)* eaedemque *uo* habeant;
3) quid de iis statuendum sit, in quibus *vo* et *uo;*
4) quid de iis, in quibus *vu* et *uu* legitur.

1) *vo (quo)* et *uu*.

A. Si ad terminationem solam respicimus, ex titulis fide dignissimis suppetunt haec:

In edicto Caesaris Augusti de aquaeductu coloniae Venafranae (Orelli-Henzen III. n. 6428) est nominativus *rivos* v. 45, accusativus *rivom* v. 21, *vacuum* v. 23. Nova, quae ferri poterant, admissa sunt aequabiliter: v. 26, 31, 47 *cuius*, v. 33, 64, 65 *cui*, *cum* coniunctio v. 40, praepositio v. 69. Certam quandam normam edictum sequi apertum est; *aliut* v. 11 et 14, *quod*, *quidquid*, *quid*, *id* circiter decies scribitur, quam differentiam ex aliquot inscriptionibus enotavi. *Causa* v. 10, 11, 15, 22, 26, 38, 48, nullum *caussa* inest. Descripsit Guilelmus Henzen.

In cippis iuxta istum aquaeductum positis tribus vel quattuor, quorum unum Mommsenus descripsit I. R. N. n. 4602: *rivom*, *vacuus*, *causa*.

Anni 87 est tabula in Henzeni „Scavi nel bosco sacro dei fratelli Arvali“ pag. 42—43; ibi *perpetuus* 42 v. 30, *annuum* 43 v. 31, sed *salvom* 43 v. 6; *cum* coni. 42, 4; *cum* praepos. 43, 35.

I. R. N. n. 2529: *(P)rimitivos*, *(p)erpetuus*. Titulus circa annum 165 p. C. n. factus videtur. Cf. n. 2530. Descripsit Mommsenus.

I. R. N. 3528: *aevom*, *innocuus*. Descripsit Mommsenus. De consulibus mihi, cum Marinius non praesto sit, parum constat. —

In Orellii et Henzeni collectione III. 6404: *clavom*, *suum*. Vidit Henzenus.

I. R. N. 2096: *equom*, *duumviratum*. Dativus inest *cui*, apices multi, suo loco omnes. Anno 79 p. C. n. inscriptio est antiquior.

In imperatoris Traiani donatione Veleiate (Maffei, Mus. Veron. pag. 381—397) quindecies est *suum* (381, 83, 84, 85, 86 bis, 388, 392 bis, 393 bis, 394, 395 ter), sed *Vibium Calvom lib. suum* 392. Henricus Francke (zur Geschichte Trajan's, pag. 381—407), qui Muratorii „exemplar tabulae Traianae cet.“ sequi videtur, de his scripturis a Maffeio non dissentit.

In T. Flavii Syntrophi instrumento donationis (Orelli-Henzen III. 7321): *reliquom*, *suum*. In eodem *cum* ter vel quater, *cuius*. —

Ex eadem pronuntiatione, non cum Huebnero ex temporibus, equidem *antiquom* et *perpetuum* C. I. L. II. n. 2633 repeto. Formulae enim illius aetas, quae *antiquom* praebet, aequabilitate litterarum, quam Huebnerus testari videtur, et lapsu communi v. 5 et 15 *idem* (pro *item)* compensatur.

Iam confidenter in meum usum ex oratione Ti. Claudii Caesaris converto duplicem scripturam *vu* et *vo: divus, divom*, simplicem *uu: patruus, arduum* (Boissieu, Inscriptions de Lyon, pag. 136, col. II.); in eadem oratione *cum* (praepos., coni., adverb.) septies, semel *cuius*.

Item ex tabula anni 90 in Henzeni „Scavi nel bosco sacro" (pag. 53): *perpetuus* v. 18 et 37; *annuum* 54; *clivum* in parte inferiore v. 1, *salvom* autem v. 39. Ad *vo* etiam inconstans neglegensque scalprum vel calamus propensior erat, quam ad *uo*.

B. Paucos addo titulos, qui in primis verbis *vo*, in terminatione *uu* habent, velut in Henzeni supplementis syllogae Orellianae III. 6634: *passuum, Volsonianum* (ibidem *cuiusque)*; eiusdem libri n. 7168 in decreto Tergestino, aetatis Antonini Pii: *volt(us), suum*; frequentata ibi sunt *cum, cuius*, nullum *quom, quoius* cet. Item apud Orellium n. 2204: *Volc(ani), duumvir*, tertii p. C. n. saeculi.

Non discrepant in papyro Herculanensi (Herculanensium tomus II. 1809) carminis de bello Actiaco sive Alexandrino reliquiae: *(v)olnere* in col. VI., *(f)ruuntur* in col. II.; fortasse etiam *(g)ran(d)a(e)vos* nominativus, ut Campettius coniecit, in col. I. scriptus fuit.

2) *vu (quu)* et *uo*.

Epigraphica monumenta, quae antiqua lege *uo* scribendi observata ad nova inventa *vu* et *quu* deflexissent meaeque sententiae adversarentur, equidem nulla novi.

3) *vo (quo)* et *uo*.

Tertii generis inscriptiones, si infra liberae rei publicae tempora descendimus, pauciores invenimus, quam primi. Enotavi haec:

Volneribus, tuom ex oratione funebri annorum 746—752 (Mommsen, Abhandlungen der Berl. Acad. 1863 pag. 455 sqq.)

Volneribus, acervos nom. sing., *perpetuom* e duobus cenotaphiis Pisanis, quaedicuntur (Orelli coll. 642—43.)

Calvos, quater *duomviratu* e Pompeiano titulo I. R. N. 2378.

Divom sexies, *servom suom* ex aere Salpensano; *divom* quater, *reliquom, vacuom* ex aere Malacitano.

4) *vu* et *uu*.

Quarti generis inscriptiones permultae extant. Quomodo et de iis et de tertio genere existimandum sit, infra patebit.

Ad rei rationem dispiciendam utile erit, hasce (4) una cum iis **(III.)** proponere, quae alterutram consociationem litterarum, i. e. aut consonantem cum subsequente vocali, aut binas vocales habent.

II. Ut Frontoni alterum auctoritatis locum assignarem, duae me moverunt causae, quas harum rerum peritos non edocebo. Quae codices Ambrosianus et Vaticanus ex collatione G. N. du Rieu (ed. Naber) praebent, hunc in modum digessi:

1) *uu: Emortuus* 17, 34, *patruus* 15; *residuus* 71; *strenuus* 29, 173; *vacuus* 77, 84.

Arduum 68; *continuum* 88; *ingenuum* 30; *perpetuum* 14, 185; *praecipuum* 92, 93, 95, 216, 232; *quattriduum* 224; *triduum* 29, 88; *residuum* 33.

Tuus, tuum, suus, suum iam. in „Epistularum ad M. Caesarem et invicem libris V" circiter quinquagies.

Duum 15; *exercituum* 222; *luctuum* 232; *sensuum* 14.

Afluunt, affluunt 78; *metuunt* 40; *minuunt* 203; *statuunt* 14.

Nusquam *uo* traditur.

2. A) *vo (quo): Salvos* 77, 89.

Aequom 86, 106; *equom* 35, 108; *avom* 25, 226; *clivom* 68; *divom* 25; *fugitivom* 26; *Gradivom* 25; *navom* 226; *novom* 77, 100; *salvom* 77, 79, 133, 261; *tempestivom* 25, 80.

Volcano 68; *volgus* 190; *volgi* 22, 224; *volgo* 53, 56, 74, 162, 213, 214; *volgaribus* 64, 151, 152; *volgatum* 18; *volgato* 50; *volgatius* 108; *volnera* 205; *volnerari* 217; *volpem* 20, 225; *volsi devolsa* 128; *volt* 36, 66, 75; *voltum* 234; *voltu* 91, 95, 136, 238.

Nevolos 98; *parvola* 72; *parvolae* 82, 86, 104; *parvolam* 230; *parvolos* 101; *parvolas* 75; *frivola* 73; *frivolis*, *frivoleis* 74; *fribola*![16]) 107.

2. B) *vu (quu): Calvus* (nom. propr.) 114; *divus* 135; *proavus* 210, 226; *salvus* 101, 133; *servus* 17.

Aequum 232; *equum* 128; *et quum* pro *equum* 57; *veriloquum* 49; *aevum* 228; *alvum* 91; *intempestivum* 74, 121; *internecivum* 43, 59; *novum* 84, 140; *saevum* 109; *servum* 115.

Vulgata 185; *vultus* 142; *vultu* 147, 188.

Avunculus 15.

3. *u (cu): Aecum* 61; *anticum* 66; *ecum* 35; *oblicum* 52; *reliqum* 197; *obsecuntur* 134; *extinguntur* 7; *pollunt* 32; *tum* pro *tuum* 29. Cf. *mutuum* pro *mutum* 145.

Fronto eiusque amici atque is, qui epistulas ceteraque scripta collegit (nisi ipse Fronto collegit), ex prisca lingua *uo* assumere noluerunt. Si sumpsissent, in tanta scripturae *vo* frequentia etiam pauca quaedam *uo* integra ad nos pervenissent. Nam a libris Plauti, Virgilii, Horatii, aliorum, etsi *vo* in iis saepissime legitur, tamen ne *uo* quidem prorsus abest. Lectiones, quas ex apparatu critico editionum congessi, singillatim hic enumerare non attinet.

Num scriptoribus nostris duplex triplexque forma verborum, quae in *vos, quos, vum, quum, vom, quom, vus, quus* exeunt, placuerit, ut deformarent magis, quam variarent sermonem, nescio; non omnia illa *vu* et *quu* eos scripsisse vel dictasse, libri quinti index indicio est. Nam epistula, quae quadragesima quinta fuit, incipit ab his verbis: *Annum novum;* index autem, qui eodem codice continetur, genuinam scripturam: *Annum novom* conservavit.

Non assentior Nabero, qui etiam in *aecum*, *ecum* cet. „archaismum" deprehendit, quod „*q* recentior est, quam *c*" (pag. 278). Nam rerum et litterarum Catone, Plauto, Ennio antiquiorum ullam scientiam in Frontone fuisse, demonstrari nequit. Qui illa scripsit, vulgari enuntiatione tractus est.

Extinguntur non secus atque *tum* (pro *tuum*) a Frontone abiudicandum est; illud item ac *pollunt*, quod in margine adscriptum est in interpretatione, manum librarii ostendit.

Ut vocali *O* in primis et mediis verbis librarii fere parcerent, eadem vulgaris consuetudo effecit, quae in his per quasdam regiones diutius sibi constitit et antiquam latinae linguae indolem conservavit eam, cui etiamnunc *Flavoleius* apud Livium (II. 45, 13, ibidem *Gradivum*, apud eundem *Apuleius, Aurunculeius, Canuleius, Hirtuleius, Rabuleius), volgo* in Digestis Florentinis (cf. Mommsen, Abhandlungen der Berliner Academie 1868, pag. 169), *Scaevola, frivolus, helvolae* debemus debentque Itali *volpe, volgo, volgata* cet.

Sed haec hactenus. Nam et partem fere tertiam huius excursus I. et excursum II. indici scholarum, quae mensibus hibernis habebuntur, video reservanda esse.

---

[16]) Modo nimis, modo parum Frontonis doctrinae confidit Naberus. Velut litterarum *b* et *v* permutationem Africanae eius origini tribuit pag. 278; tu vide, ne librarios oscitanter egisse credendum sit. Ne res dubia videatur, duobus exemplis quae dixi confirmabo. In epistula III. libri IIII. Fronto docet, quid intersit inter *lavere* et *lavare;* utrumque quater posuit, sed primo ex his octo locis prima manus in codice scripsit *labere*, secunda correxit *labare*. In septima libri I. Laberii sententia laudatur, *ad amorem iniciendum ... beneficia* esse *veneficia*. Librarius bis fecit *beneficia*. Quin optimae aetatis usum bene cognitum habuerit Fronto, dubitari non potest.

Errata: Pag. 8 v. 29 l.: revertar, pag. 13 adn. v. 11: precaream.

Adn. ad pag. 17 v. 30: De consulum anno 81 p. C. Marinius (Atti de'fratelli Arvali I. pag. 208) valde dubitat.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Franc. Hipler, P. P. O. h. t. Decanus.

I. Theologiae pastoralis partem alteram docebit quinquies per hebdomadem h. VIII.
II. Ius matrimoniale tradet diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. IX.
III. S. Gregorii Nazianzeni orationem apologeticam „de fuga sua“ interpretabitur diebus Martis et Iovis h. IX.

Dr. Andr. Menzel, P. P. O.

I. Apologeticen tradet dieb. Lunae et Mercurii hora II.
II. Theologiam dogmaticam tractabit dieb. Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris hora X.
III. Repetitiones et disputationes de rebus dogmaticis moderabitur de Saturni hora X.

Dr. Franc. Dittrich, P. P. E.

I. Antiquitates ecclesiasticas tradere perget diebus Lunae, Martis et Mercurii h. IX.
II. Repetitorium et disputatorium de rebus ad Theologiam moralem spectantibus instituet die Saturni h. IX.
III. Historiam artis christianae medii aevi recentiorisque temporis enarrabit diebus Iovis et Veneris h. IX.

Lic. Hugo Weiss.

I. Genesin interpretabitur ter per hebdomadem hora VIII.
II. Evangelium secundum Marcum exponet ter per hebdomadem hora VIII.

Lectiones de historia ecclesiastica et de iure canonico suo tempore indicentur.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Frid. Michelis, P. P. O. h. t. Decanus.

I. Psychologiam tradet quater per hebdomadem hora X.
II. Metaphysicen docebit bis per hebdomadem hora X.
III. Ex Aristotelis Metaphysicis capita selecta interpretabitur horis definiendis.

Dr. Laur. Feldt, P. P. O.

I. Geographiam mathematicam, physicam et Atmosphaerologiam tradet, et usum instrumentorum meteorologicorum ac praxin observandi ostendet diebus Lunae et Iovis hora XI.
II. Calculum differentialem eiusque applicationem ad geometriam explicabit diebus Martis et Veneris hora XI.
III. Historiam et naturam Disciplinarum Mathematicarum inde ab antiquo aevo usque ad nostra tempora adumbrabit die Mercurii et Saturni h. XI.

Dr. Ios. Bender, P. P. O.

I. Historiae recentioris capita praecipua tradet ter per hebd. h. VIII.
II. Germanorum Antiquitates, imprimis res mythologicas enarrabit bis per hebd. h. VIII.
III. De praecipuis historicis eorumque scriptis disseret semel per hebd. h. VIII.
IV. Historiam poesis Christianae maxime apud Germanos exponet hora definienda.

Dr. Guil. Weissbrodt, P. P. O.

I. De poesi lyrica Doriensium disseret et Pindari carmina interpretabitur quater hebdomade.
II. S. Ignatii epistolas quater hebdomade, Tertulliani apologeticum bis in seminario suo patrologico cum sodalibus leget eaque, quae verterint, latine cum iis disputabit.
III. Selectos e L. Annaei Senecae scriptis locos tractabit bis hebd.
IV. Historiam litterarum latinarum item bis enarrabit.

Dr. Ios. Krause.

I. Psychologiam tradet bis per hebdomadem hora X.
II. Metaphysicen docebit ter per hebdomadem hora X.
III. Historiam philosophiae enarrare perget bis per hebdomadem horis definiendis.

PUBLICA DOCTRINAE SUBSIDIA.

Bibliotheca Lycei Regii, cui praeest **Prof. Dr. Menzel**, commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris h. II.—III.

Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, custodit **Prof. Dr. Feldt.**

CERTAMEN LITTERARIUM ET PRAEMIA.

Renuntiatio judiciorum de certamine litterario a commilitonibus Lycei Regii Hosiani anno superiore inito et quaestionum in currentem annum propositarum promulgatio.

Ordo Theologorum pro certamine literario has quaestiones proposuerat:

I. Ex instituto Regio: „Clementis Alexandrini de divitiis sententia ex libello eius, qui inscriptus est: *Τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος* eruatur et ponderetur“.

II. Ex stipendio Scheill-Bussiano: „Concilium Constantiense quatenus oecumenicum habendum sit, ex ipsis fontibus et scriptorum monumentis diiudicetur“.

Quarum priorem nemo commilitonum solvere tentavit.

De altera exhibitum est opusculum his insignitum verbis Tertulliani (ad nation I. 7.): „Nemo famam nominat nisi incertus, quia nemo fit fama sed conscientia certus etc.“

Auctor sermone quidem utitur haud inculto, sed quaestionis vim atque artis criticae et historicae praecepta aut ignorans aut negligens suo potius ingenio indulsisse quam „ex ipsis fontibus et scriptorum monumentis“ rem suam tractasse et diiudicasse censendus est. Unde Ordo Theologorum praemium constitutum merito ei dubitavit adiudicare.

Ab Ordine Philosophorum ex instituto Regio quaestio proposita erat haec:

„Ordo Teutonicus quomodo Prussiae dominatum contra Christianum Episcopum atque contra Conradum Masoviae et Suantopolcum Pomeraniae Duces obtinuerit et quae tandem necessitudo condicionesque Ordinem inter et Prussiae episcopos imprimis Warmiensem constitutae sint, diplomatis aliisque fontibus adhibitis et uniuscujusque partis jure disceptato exponatur“.

Una commentatio Ordini oblata est, diplomatis cuiusdam verbis insignita:

„Sane Episcopum eligendi seu postulandi dicte ecclesie liberam facultatem habeant secundum canonicas sanctiones“.

Quaestione, quod ad summam rei attinet, bene instituta et disposita scriptor rationem, quae Ordinem Teutonicum inter et illos tres viros, circa quos tunc Prussiae fata versabantur, intercedebat, recte explicavit. Diplomatum intelligentia ad terram Culmensem spectantium aliquid profecit. Res inter ordinem atque papam episcoposque Prussiae actae minus dilucide sunt explanatae, exceptis Warmiensibus, de quibus scite disseritur. Alia quoque singula quaedam notabilia ex disquisitione redundant.

Critica arte non sine dexteritate usus est scriptor, nisi quod interdum suo sensui nimium et in alienis locis concessit.

Notitia historiae Prussiae, qua imbutus est, et diligentia fontibus pernoscendis adhibita laude dignae sunt. Vituperandum est nimium abundantiae serum quasi exhauriendae studium, quo abreptus scriptor non solum in singulis exponendis latius vagatur, sed plura etiam immiscuit aliena, longioresque intexuit excursus plane supervacaneos.

Sermo latinus, a mendis grammaticis fere purus, inani plerumque laborat verborum sonitu, legenti molesto, atque artificiosiore dicendi genere, quo res enarratae haud raro obscuriores redduntur.

Quum vero haec commentationis vitia virtutibus illis, in quibus diligentia primo loco ponenda, superentur, scriptor, qui praemio constituto ornaretur, dignus iudicatus est.

Aperta charta innotuit:

Paulus Jedzink, stud. theol.

In sequentem annum commilitonibus Lycei Regii Hosiani quaestiones proponuntur hae:

Ab Ordine Theologorum.

I. Ex instituto Regio: „Basilii Magni de Spiritu S. doctrina“.

II. Ex stipendio Scheill-Bussiano: „De institutione et disciplina catechetica, quae in S. Cyrilli Hierosolymitani catechesibus occurrit“.

Ab Ordine Philosophorum haec:

„Inter libri Kantiani, qui inscribitur: Kritik der reinen Vernunft, editionem priorem alteramque discrimina quae intercedunt accurate exponantur examinatis virorum doctorum controversis hac de re latis sententiis aestimatoque momento, quod ex ea in philosophiam recentiorem redundaverit“.

Certantium commentationes sermone latino scriptae et more consueto signatae ante d. XV. Januarii a. MDCCCLXXIII Rectori Lycei tradendae sunt. Praemia victoribus constituta XXV Impp.

Promulgatum in solemnibus Imperatoris et Regis Serenissimi Guilelmi I. nataliciis die XXII. Martii anni MDCCCLXXII.